



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conradi Oligenii J. C. Dissertatio De Primariis Precibus  
Imperialibus**

**Corradini, Pietro Marcellino**

**Friburgi Brisgoiae, 1707**

XXIV. Abusus Principum in canonicis electionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63022)



30 *De primariis Precibus Imperialibus*  
ria Regularium, non continent pœnas,  
aut beneficia Papæ reservata, & quamvis  
complectantur vacatura, in hoc diffor-  
mes sunt à consuetudine asserta in diplo-  
mate Rudolphi.

**XXIII.** Sic & primariæ Preces Wenceslai Im-  
Preces Wen- peratoris electi anno 1376., quas exhi-  
cesslai Impe- bet idem Goldastus dicto tom. I. pag.  
ratoris. 375. adduci non merentur ad talem an-  
tiquam consuetudinem afferendam; cedit  
enim ibidem ipse jus primariarum Pre-  
cum Ruperto Comiti Palatino Rheni, &  
Bavariæ Duci cum enunciatiua, quòd de  
jure, & consuetudine id jus Imperatori-  
bus competeret in singulis Ecclesiis Ger-  
maniæ, & contra Ordinarios Collatores  
tantummodò, eosque qui Precibus non  
parerent pœnis ibidem comminatis affli-  
xit, & executorem eundem Comitem  
Palatinum fecit: quare constat hunc  
Preces non direxisse: nescimus enim, an  
ejus cessionarius id fecerit, & Ordinarii  
paruerint. Pater etiam hunc hæsisse dis-  
positioni juris, quia de consuetudine for-  
tasse dubitabat, & ampliassè simbrias suo-  
rum prædecessorum, Preces redigendo  
in præcepta, addendo etiam minas, &  
pœnas: quod nemo prædecessorum ejus  
fecerat.

**XXIV.** En itaque cujusmodi fuit consuetudo,  
Abusus Prin-



per quam impossibile est, quod laicus Princeps jus firmum sibi acquisiverit cogendi omnes Episcopos, & Capitula inclytæ nationis Germaniæ sub pœna ad parendum Precibus, & conferendum, pessundata libertate canonica electionum, & collationum, personis sibi benemeritis. Nemo sane non videt non consuetudinem, sed abusum fuisse illis temporibus in vectum, quando sæpenumero Summi Pontifices, & Episcopi coacti sunt pœnis Ecclesiasticis occurrere laicorum Principum cupiditati affectantium non dicam in Beneficia Ecclesiastica, sed in ipsas electiones Episcoporum violentas manus injicere; ut infra ex antiquis monumentis ostendam. Et quidem rem de facto gestam probant diversitas Precum Rudolphi ab illis Caroli IV. & Wenceslai; assertio in ultimis facta, quod Preces illæ à dispositione juris communis procedebant; ac intervallum centum & ultra annorum, qui numerantur ab Imperio Rudolphi ad illud Wenceslai, quo curriculo duo tantum exempla primarum Precum apparent, & nescimus utrùm illæ fuerint effectum fortitæ; an Ordinarii, & Capitula paruerint; an non parentes multati fuerint: quanquam ego verisimile putem, Carolum IV. & Wenceslaum

cipum in canonicis electionibus.

XXIII  
Preces Wenceslai  
effectum fortitæ  
ordinarii

VIXX  
Wenceslai



32 *De primariis Precibus Imperialibus*  
ab Apostolica Sede indultum habuisse;  
& idcirco de jure id sibi licere asseruisse:  
quod posset facile probari ex provisioni-  
bus factis ab Ordinariis, quarum nulla  
reperitur, & nulla à Goldasto, qui an-  
tiquiora diplomata diligenter refert, ad-  
ducitur; cum tamen si Imperatores om-  
nes successores Rudolphi, & Wences-  
lai Preces primarias expedivissent, &  
Episcopi parvissent, innumera prorsus  
essent exempla, & eorum magna copia  
haberetur.

XXV. Porro statutum est in jure sine privi-  
legio Apostolico laicis Principibus non  
suffragari consuetudinem, aut præscri-  
ptionem etiam immemorabilem, ad ef-  
fectum acquirendi jus eligendi, vel no-  
minandi ad Beneficia Ecclesiastica; ex hac  
enim consuetudine induci ad summum  
potest simplex conniventia, seu patientia  
Papæ, quæ nusquam inducit dispensa-  
tionem in his, quibus Oecumenica Con-  
cilia, & sacri Canones notabiliter adver-  
santur, ut cavetur in cap. *Cum jamdu-  
dum*, ubi glos. verb. *Per patientiam*, de  
Præbend. Ut enim Summi Pontifices  
auferant hujusmodi abusus, coguntur  
semper, non sine periculo populorum,  
censuris uti, ideoque frequenter dissimu-  
lant, quanquam damnent facta Princi-  
pum

Principibus  
non suffragatur  
consuetudo sine privi-  
legio Aposto-  
lico.